



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu**

**Estrix, Aegidius**

**Moguntiaë, 1679**

Propositio XIII. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tritari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42472**

Alterum propositionis autorem citat Escobarium tract. 5. exam. 5. c. 6. n. 105. sed per injuriam. Nihil ibi, quod ad doctrinam moralem attineat, habet autor ille præter hæc pauca: *Nemo tenetur proprium statum, ne proximus amittat suum, dejicere, vel ab altiori acquirendo desistere*, in his quidem nemo, ut puto agnoscat doctrinam Propositionis 12.

### PROPOSITIO XIII.

**S**i cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

Hanc propositionem ait esse traditam Tamburino & quidem claris verbis l. 5. c. 1. §. 3. n. 29.

Suo more imponit accusator: non aliud ibi docet Tamburinus, quàm licere gaudere de effectu bono, qui ex malo est secutus: quam doctrinam constat esse omnium passim, neque esse damnatam. Verba Tamburini dabo a propositionem proximè sequentem.

Castropalaus, quem citari ait à Tamburino illo num. 29. (citatur n. 32.) non præbabitur aliud sibi voluisse, quàm D. Thomam 2.2. q. 76. a 1. corp. his verbis: *si autem aliquis imperet vel optet malum alterius sub ratione boni*

sicut est licitum, nec erit maledictio per se loquen-  
 do . . . . . contingit autem, malum aliquod dici  
 imperando, vel optando sub ratione duplicis boni:  
 quandoque quidem sub ratione iusti: & sic iudex  
 &c. quandoque verò dicitur aliquod malum sub ra-  
 tione utilis; puta cum aliquis optat, aliquem  
 peccatorem pati aliquam aegritudinem, aut aliquod  
 impedimentum, vel ut ipse melior efficiatur, vel  
 ut saltem ab aliorum nocumento cesset. Similiter  
 in 3. d. 30. q. 1. a. 1. ad 4. Prosperitas unius  
 inducit adversitatem alterius; unde quia charitas  
 ordinem habet, & plus debet diligere quisque se,  
 quam alium, & propinquos, quam extraneos; &  
 amicos, quam inimicos . . . . . potest aliquis salva  
 charitate optare malum temporale alicui, & gau-  
 dere si contingit; non in quantum est malum illius,  
 sed in quantum est impedimentum malorum alte-  
 rius, quem plus tenetur diligere. Et infra: sed hoc  
 non est de malo gaudere, sed de bono, quod adjun-  
 ctum est malo; hoc in Summa loco cit. sic ex-  
 presserat: quia principalis intentio non fertur ad  
 malum, sed ad bonum. Similiter verò castro-  
 palaus tom. 1. tract. 6. d. 4. p. 1. n. 11. hu-  
 jusmodi desiderium & gaudium de malo proximi,  
 non tam est desiderium et gaudium de  
 malo illius, quam de bono inde se-  
 cuturo: Rursus, non gaudes de illa morte,  
 quatenus proximo mala est, ibi sistendo (hoc enim  
 est malum) sed gaudes de illa, quatenus est cau-

sa tui emolumentum, & secundum hanc rationem bona esse videtur.

Quid ergo? an D. Thomæ invidiam moveo propositionis damnatæ? non finat bonus Deus: pietate & reverentia erga Angelicum Doctorem certus sum nemini cedere. Nego incunctanter, damnatam esse propositionem 13. in sensu D. Thomæ. Doctrinam sic temperavit, ut hoc non sit de malo gaudere; sed de bono, quod adjunctum est malo; ut etiam principalis intentio non feratur ad malum, sed ad bonum.

Rursus neque ostendetur aliud docuisse Castropalaum, quàm Cajetanum in Sum. V. Maledictio. Joannem de la Cruz in Directorio ad 5. præceptum q. 1. a. 1. dub. 3. Corradum 1. p. resp. casuum q. 392. Zanardum 2. 2. directorii c. 6. de maledict. Bonacinam tom. 2. d. 3. q. 4. puncto ultimo n. 7. Joannem Sanchez d. 2. n. 9. Verricellum in qq. moral. Tr. 5. q. 6. n. 64. Pasqualigum in decision. moral. dec. 474. Gallettum in Margarit. V. desiderare. His subscribere tenentur, qui docent, licere desiderare & poscere à Deo mortem inimici, si aliter nequeat impediri, ne noceat: item qui docent, licere sibi mortem optare, ut finem miseriarum, quos omnes citare longum esset. Habet ergo copiam Accusator, unde augeat libellum accusationis,

nis, si placuerit; jure an injuria, non definitio, parum pensi habet ipse. Laborabit verò, ut hos omnes faciat Jesuitas cum Joanne Sanchez, imò ut religiosos faciat omnes.

### PROPOSITIO XIV.

**L**icitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas.

Hanc rursus propositionem ait esse traditam à Tamburino, & quidem claris verbis, simulque ab eo citari, ut autorem doctrinæ ejusdem, Castropalaum loco supra citato.

Utrumque est impostura manifesta. Quod ad doctrinam Tamburini attinet, hic libro illo 5. c. 1. § 3. n. 29. apertè contradicit propositioni his verbis: *an possit Filius mortem Patris optare, vel de illâ gaudere, non ut malum Patris (hoc enim esset odium execrandum) sed ut ipse filius paterna hereditate fruatur . . . . si solum desideres, vel cum gaudio excipias ejusmodi effectus, hereditatem, molestiæ carentiam &c. facilis est responsio: licitè enim hæc optas, vel amplecteris: quia non gaudes de alterius malo, sed de proprio bono. Certè non potest quis licitè gaudere de fornicatione, de comestione carnis, ut facta die veneris &c. nec illa desiderare, ut tunc fiant: quia gauderet de peccato, illudque desideraret:*